

L. B. V

CREATIO  
VNIVERSI

EX  
MATERIA AETERNA  
NON  
EX NIHILO  
RVINOSVM CONFVTATIONIS SPINOSISMI  
FVNDAMENTVM

---

QVOD CONTRA  
NATAL. ALBERTI VERSEI  
L'IMPIE CONVAINCV  
PRAESIDE  
M WOLFF BALTH ADOLPHO  
DE STEINWEHR  
EQV. MARCH

AD D. XXVI APRIL. ∞ IO CC XXVII

PVBlice DEFENDET  
GOTTLIEB FINDEISENIVS  
GRIESBAC, MISN. SS. THEOL. CVLT

---

V I T E M B E R G A E  
L I T E R I S C H R I S T I A N I Z I M M E R M A N N I A C A D. T Y P

coll. diss. A.  
23, 42

#. ~~CLXII~~. #.

Diss. A. 223 (42)



CREATIO  
UNIVERSI  
MATERIA AETERNA  
EX NIHILLO  
RITINOSYMONTATONISSPINOSISMI  
PYNDA MENVYM

QUOD CONTRA  
NATAL ALBERTI VERSEI  
PRAE  
Sächs.  
Landes-  
Bibl.

M WOLFF BALTH ADOLPHO  
DE STEINWEHR  
EON MARCH  
AD D. XXV. APRIL. CO. 1700 XXVII  
GOTTlieb FINDEREMANN'S  
GRIBAL MIN 22. THEOLOGY

NITTEBERGAE  
LITERIS CHRISTIANI KUNZMANNI





I



um multa sunt in Philosophia, quae  
difficiles atque arduos habent ex-  
plicatus, tum quaestio de AETER-  
NITATE tam multis semper,  
tamque discrepantibus hominum  
implicata fuit opinionibus, nullus  
ut temere locus, quam hic, disce-  
ptationum feracior, nullus contentionum plenior esse  
uideatur. Agnoscunt hic prudentiores miserrimam hu-  
manae mentis, fragilitatis, naturae communis, finibus  
circumscriptae, conditionem. Grauissimarum dignita-  
te rerum inuitantur saepe mortales, ad eas exquisitius  
pernoscendas: at enim uero diligentiori difficultatis co-  
gitatione uel a proposito absterrentur, uel dubiis tanti-  
per, ne plane sint nescii, incertisque, notionum ac sen-  
tentiarum fluctibus agitati, huc, illuc, uagantur, uel de-  
nique ambitiosa sagacitatis suae aestimatione abrepti, in-  
tricatissimis molestarum dubitationum laqueis constrin-  
guntur, dum summa in id opera uidentur incumbere,  
ut ex his nexibus, se, iuxta et alios, quam commodissi-  
me exsoluant

A 2

II



## II

Aeternitatis perscrutationem, replicata ultimorum temporum memoria, haud dissimili ratione a plerisque omnibus informatam fuisse, quis est, qui nesciat? Aegyptii enim et Nasamones, uariis comparationum integumentis eam occultantes, se aliosque frustrati, posteris, perspicientiae, haud omni ex parte felicitis, exemplum prodiderunt. Dehinc PROCLVS, PLOTINVS, NUMENIUS, Pythagoreus, HERENNIVS, Platonis sectator, alii, ex iis, qui, intimos Philosophiae recessus non segniter se pertentasse, gloriabantur, quibus PETRVM DAMIANI, ANSELMVM, plures, accensere possis, delumbatis quibusdam descriptionibus, magis circa corticem haesisse, quam ipsum excussisse nucleum uidentur. Immo, quod perindigne propemodum terre poteras, ne in ipso quidem censu hominum sagacissimorum, quales haberi poterant, SCHOLASTICOS puto, ii desiderantur, qui, dum ultra illas, ad quas haeserant prisci, inuestigationum metas, procedere allaborant, argutis quidem, uti existimari poterat, sed spinosis nimium, explicationibus, delectantur. Hi namque ipsi, qui subtilitatum omnium arbitros se ac disceptatores maxime idoneos putabant, rogati de aeternitate sententiam, tam egregie respondebant, uti, eos cum audieris, duplo, quam ante, fueris incertior. Neque tamen mirari hoc conuenit, quod rei perdifficili, explicate eandem tradendo, lucem foenerari noluerint, qui in obscuritate sibi gloriam relictam esse putabant, et tum demum coelum digito se attigisse arbitrabantur, cum enucleata rerum explanatione amandata, noctem iis ac caliginem inducere possent. Vix enim, ac ne uix quidem, dubito, non fuisse omnino nullos, qui se tanto reliquos sapien-



sapientia et acumine antistare crediderint, quando sibi  
esset expeditius, rebus in clarissima luce collocatis, tene-  
bras offundere densissimas

III

Falleris uero, quisquis es, qui eos de aeternitatis tan-  
tum definitione inter se dissidere, reliquas autem de eadem  
quaestiones in nulla uersari controuersia, arbitraris. Ab-  
stineo me molesta multarum commemoratione disputa-  
tionum: unicam tantum in praesenti attingam, litigiosam  
sane, plenamque concertationum, quando nempe illud  
in disceptationem uocabatur: VTRVM REPVGNET,  
VNIVERSVM HOC AB AETERNO CREARI POTVIS-  
SE A DEO, NEC NE? quod ipsum tanta in utramque  
partem subtilitate est disputatum, ut fere subdifficile sit,  
statuere, utra demum superior discesserit. Sed quoquo  
modo sese illud habeat, nulla tamen, ut de re omni paullo  
explanatius proponam, suppeditat caussa, quam ob rem  
hanc ipsam quaestionem uel cum COMPTONE, a) ideo,  
quod *de re possibili instituatur, in otiosis, et quae plus di-  
uinationis, quam utilitatis habeant, numerare, uel cum a-  
lio quodam, cuius nomini honoris et reuerentiae caussa  
parcimus, ut curiosam, inutilem, et christianorum hominum  
responsione indignam, prorsus reicere debeamus.* Hoc i-  
gitur illud est, cuius animum miratio subit, eos etiam, qui,  
quamuis hodieque de possibilitate creationis sine nouita-  
te essendi, (liceat tantisper cum Scholasticis, parum qui-  
dem caste ac latine, concludere tamen apteque loqui) asse-  
ueranter et affirmative non pronuncient, mundi tamen no-  
uitatem difficulter demonstrari posse, contendunt, hanc  
A 3 quae-

a) D. XXIII. de anima S. VI. n. 1



quaestionem inter leuiculas referre, utpote quae momentum non adeo magnum ad eam rem afferat. Aut enim nos uehementer fallimur, aut, si qua ad probandam mundi in tempore creationem idonea suppetit ratio, ea omnis hoc ex fonte emanare debet. Etenim, mundum ab aeterno creari *non potuisse* cum demonstraues, illud simul confeceris, eum non esse *actu* ab aeterno productum, quo constituto, necessario sequitur, eum in tempore esse creatum

### III

Nobis itaque, hanc causam omnem paullo accuratius apud animum reputantibus, non uidetur, ea tantis obsecra esse difficultatibus, quin in interiores eius rationes penetrare, et uel ex ipsa aeternae creationis notione eius repugnantiam, nequicquam adhuc conditam, detegere possimus. *Creatio scilicet est communicatio existentiae, sine praeeistente materia, cum nempe id, quod omnino per aliquem durationis tractum non extitit, existentiam suam, cum de se ipso nihil sit, accipit, efficacia alterius, tanquam causae efficientis, sine intercedente materiali.* b) Quodcunque igitur est creatum, accepit existentiam loco nihili. Quodcunque accepit existentiam loco nihili, id non fuit semper. Quodcunque non fuit semper, admittit durationem ante initium sui. Quodcunque admittit durationem ante initium sui, coepit existere in tempore. Quodcunque coepit existere in tempore, illud non est aeternum. Ergo quodcunque est creatum, non est aeternum. Siue ergo nihilum quasi antecessisse, ac tum demum secuta realitas  
cui

---

b) u. Cel. BVLEFFINGERI Dilucid. §. CV



cuiquam uideatur, siue ex nihilo aliquid effici ac produci dicatur, c) nihilo tamen secius idea nihili, arctissimo semper cum notione creationis nexu, coniuncta manet, omnemque eius aeternitatem excludit. Dixeris forte: differre haec inter se: *esse aeternum*, et *esse ab aeterno*. mundum itaque posse *ab aeterno* esse, quamuis non sit *aeternus*. d) At uero, uerbis tantum, quod pace tua dixerim, suauiter ludis. Nonne enim perspicias, sub his uocibus: *ab aeterno esse*, quae sit subiicienda sententia? Nempe, ubicunque aliquid est ab aeterno, non potest mente fingi durationis momentum, quo illud non fuerit. Vbi uero non datur momentum, quo aliquid non fuerit, ibi datur aeternum. Ergo quodcunque est ab aeterno, illud est aeternum. Neque uero, ut in alia omnia abeamus, mouemur exceptionibus dissentientium, quando, exempli causa, obuertunt, effectum aliquod cum sua causa simul esse posse: e) Locum enim hoc, quicquid est, tantum habet in effectis *necessariis* et *emanatiuis*: creationis uero rationem ita esse comparatam, nemo facile affirmauerit. Praeter ea, ex eo, quod Deus *potuerit* ab aeterno *uelle*, f) minime omnium consequitur, ut ab aeterno *creare potuerit*. Non repugnamus *propositioni* argumentationis: Quicquid Deus ab aeterno potuit uelle, id ab aeterno potuit efficere: Sed *assumptionem*, quae inde resultat, non possumus non fortissime negare. Creatio enim aeterna, id quod superius ostendimus, repugnans aliquid, seu, ut cum schola loquamur, contradictorium est. Quae cum ita sint, ut  
breui

c) conf. BVLFFING. Diluc. §. CXC

d) conf. SCHEIBLER. Metaph. L. 2. C. 3. tit. 17. punct. 6  
n. 649

e) conf. SLEVOGT. disput. Academ. XIX. n. 4

f) uid. id. ibid. n. 6



breui praecidamus, a potentia Dei uolentis ad possibilitatem obiecti hoc loco non licet argumentari

### V

Omissa tantisper, quam praetereundo quasi disceptauimus, quaestione, ad aliam, quae animo obuersatur, controuersiam aggrediamur, et eam quidem, nostrum ad institutum propius accedentem, sed, si quod res est, dicendum, priori illa haud paullo perturbatiorem. Constituto nempe eo, mundum hunc, et quicquid uastissimo illius ambitu continetur, neque ex temeraria quadam minutissimorum corporum concursione coaluisse, neque aeterna quadam Numinis efficientia conditum concinnatumque esse, immo, ne condi quidem ac concinnari potuisse, hoc unum restare uidebatur mortalibus, ut, contemplationi naturae communis dediti, ac diuina imprimis luce collustrati, firmiter sibi persuaderent, summum, quod ueneramur, Numen, uerbo tantum ac nutu suo hoc uniuersum ex nihilo architectatum fuisse. Nihil tamen secius, adhibita antiquitatis ultimae memoria, homines reperias, non hebetes illos quidem ac rudes, sed ascita opinionum libidine, sagacitate mentis male usos, postremo cum ratione, omnis experte pudoris, insanientes, qui materiem quandam Deo aequalem, ex qua immensam hanc rerum uniuersitatem effinxerit, per scelus nefarium commenti fuerint, quasi ut artifex, ita Deus, sine materia nihil posset efficere

### VI

Longum esset, eos omnes enumerando percensere uelle, qui ab sensu, notitiaque Numinis relictis, pestilentissimo hoc errore sese inquinarunt: uniuersam enim gentium cohortem, quadam quasi coniuratione facta, in eo pro-

pro-



propemodum furore consensisse, ita est in promptu, ut res disputatione non egeat. Eos etiam praeterimus, qui, uix dum confirmatis christianorum rebus, ambitionem conscientiae bonae mentis antetulisse, et diuinius quamlibet instituti literis, deposita tamen sanctitatis memoria, proiectae huic, foedissime errandi, libidini petulantius indulgisse perhibentur ab IRENAEO, EPIPHANIO, THEODORETO, AVGVSTINO, aliis. Ad hos potius commemorandos accingimur, qui nostra, patrumque memoria, pestiferam hanc opinionem, iam pridem sepultam, et uerustate obrutam, reuocarunt quasi ab inferis, quin, ad eandem, uario fuci, pigmentorumque genere, uel incrustandam, uel exornandam, omni uirium contentione, acerrimoque studio incubuerunt, propter ea, quod iis ingenii, quam religionis palma erat maior ampliorque uisa. Socinianos quidem, certe nonnullos, in pudendi huius societatem erroris uenisse, procul fallendi periculo, eoque certius asseuerare audemus, quo magis ea in sententia confirmamur luculento illo SMALCII g) testimonio, palam prae se ferentis, *esse quosdam suorum, qui materiam Deo ab aeterno coexistentem, asserant.* Quod ipsum, uel unius MOSCOROVII, primarum fere inter eos partium hominis, exemplo, ad memoriam perinsigni, comprobare liceat, quando eos, *qui materiam aeternam saltem uolunt, non leuiculis rationibus, quibus S. literae nusquam aduersentur, inniti, existimat, ac reuocata in dubium incertumque creatione ex nihilo, asserta uero materiae aeternitate, illis occurrere studet rationibus, quibus haec eadem oppugnari alias solet.* b) Sed praeter

B

ea

g) in refut. dissp. Franzii. p. 414

b) conf. lib. de baptismo p. 29



ea monstri etiam quid alunt Socini aſſeclae, ipſamque Dei numen, de ſuo quaſi deiectum ſtatu, euertere, ac funditus pernicioſiſſimi huius erroris inſania delere, nefandis auſibus conantur, uti diligenter admodum notauit MELCHIOR LEIDDEKKERVS <sup>i)</sup>

## VII

Ita uero in certamine ueluti errorum tantisper uerſati, hominumque tam uecordium et multitudine confuſi, et audacia obſtupefacti, parum omnino aberat, quin rerum momenta minus ſollenter ponderaremus, et maiorum inprimis Virorum auctoritate aliquanto confidentius nixi, THOMAM BURNETIUM, inuitum quamuis, uehementerque reluctantem, iis ſociaremus, quos terrimae huius opinionis dedecore commaculatos eſſe, paullo ante oſtendimus. Quo ipſo haud exiguam forte ab iis gratiam inuituri fuiſſemus, quibus, proh labem ſaeculi! in more eſt, quae modo cunq̄ue mente fingi, cogitarique poſſunt, ſententiarum monſtra, miſeris iſtis audacter tribuere, qui ſemel in ſuſpicionem temerariae cuiuſdam, uti uocatur, res *NOVAS* comminiſcendi libidinis, ſunt adducti. Sed ad propoſitum reuertamur. Placuit nempe Viro Summe Venerando, DN. IO. CHRISTOPH. WOLFIO, in elegantiſſimo, de Manichaeiſmo ante Manichaeos, libro, <sup>k)</sup> BURNETIUM noſtrum in eorum referre cenſum, *qui materiam Deo faciunt coaeternam*, et hoc quidem uel ideo, quoniam auctor laudatus, non ſolum omni aſſeueratione contendit, *creationem ex nihilo ex S. Scriptura probari non poſſe*, ſive ad uerbum Geneſeos ברא,   
 ſive

<sup>i)</sup> Archaeol. S. diſſ. II. p. 31. ſq̄

<sup>k)</sup> pag. 302



*sive ad Ebr. XI. 3. prouocetur, l)* uerum etiam, aliquot uerbis interiectis, aperte confitetur, *nihil esse in rerum natura, quod nouitatem materiae arguat, sed nouitatem formae multa*, immo, quod maximum, conceptis uerbis scribit: *Omnis materia est COAETANEA, et, ni fallor, omnis substantia creata. m)* Quae quidem loca appositissime adducta esse, causamque omnem tam luculenter comprobare uidentur, ut de re, quasi ad liquidam perducta, non detur amplius dubitandi locus. Sed enim uero longe aliud quid nobis sonant, atque Vir Venerandus ex iisdem elicit: quapropter, cum perspiciamus, totam hanc disputationem robur quasi suum ex uoce, COAETANEA, arcessere, haec ipsa, relictis omnibus, ex mente *Burnetii* erit explananda, ac tum quidem, notione eidem subiecta, dextre euoluta, de re omni facilimo negotio iudicari poterit. Ingressus scilicet est THOMAS, ut paucis edisseramus, in eam sententiam, angelos prius a Deo conditos esse, quam hoc uniuersum produxerit, quam quidem haud paucis priscae ecclesiae Doctoribus placuisse, memoriae proditum, et a BURNETIO, bene multis eorum testimoniis, sufficienter demonstratum est. *n)* Hos ipsos uero genios, quos angelos nominare consueuimus, non esse quidem corpora, attamen, non ab omni materiae concrectione segregatos esse, quin potius, perinde ut animas humanas, *habere corpora*, contendit, (rectene, an secus, iam non disputamus,) ueruntamen non crassa, et terrestria, sed tenuia, et corporibus hominum, quandoque *ισαγγέλων*, similia, qua in sententia Patres amicis-

B 2

micis-

l) Archaeol. Philos. L. II. c. 9. p. m. 520. ed. Amst. 1699

m) Archaeol. p. 521

n) Archaeol. p. 512



amicissime secum conspirare, denuo tradit. o) Immo, eorundem consensione fretus, pronunciat, Deum, coelos etiam supremos, uel coelum empyreum, aliquam saltem materiem coelestem, quasdam *aeternitates*, quae uox est HIERONYMI, ante hunc mundum effinxisse p). Quae cum ita sint, non licere concipere, *actionem creationis in distantia saecula diuisam, manentibus interim uacuis reliquis mundi plagis. Si enim uel mica materiae extiterit ante epocham Mosaicam, totam molem uniuersi ante eandem extitisse, q) nisi ingentem forte hiatus fingere uelis, quantum iam occupat orbis sublunaris aut planetarius r). Vnde porro necessario consequi existimat, omnem materiam SIMVL et semel productam esse, s) id quod loco superius allegato hunc in modum effert: omnis materia est coetanea: sibi scilicet, non DEO. Materiem autem non esse coetaneam Deo, per independentem existentiam, ex eo probat, quia nullum ens finitae perfectionis, nedum materia, existere potest necessario, sed potius contingenter, atque adeo rationem existentiae suae habet in alio. Cum itaque materia prima nec necessario extiterit, nec ex alia procreari potuerit, illud iam sequi, ut haec eadem ex nihilo sit creata. Neque uero materiem Deo esse coetaneam, per aeternam creationem, quoniam *creatura aeterna a nobis concipi non potest. t)* Et hac demum ratione patet, *nouitatem* materiae, superius in dubium uocatam, non opponi *aeternitati*, sed referri*

o) Archaeol. p. 513

p) u. epist. ad Vir. Cl. A. B. archaeologiis praemissa

q) Archaeol. p. 513

r) v. epistol. cit. s) p. 513

t) Archaeol. p. 518



referri potius ad ipsius *uniuersi productionem*, et negari tantum, quod eodem, quo hoc ipsum, tempore, sit condita. Orbem igitur terrarum, quem incolimus, ut omnia in pauca conferamus, non ex nihilo, sed ex subiecta materie creatum esse, arbitratur, in eodem nempe uersatus errore, quo EPISCOPIVS u) SMALCIVS x) VOLCKELIUS, y) LIMBORCHIVS z) alii, sese contaminarunt: materiae autem huius aeternitati minime omnium patrocinatur. Ita scilicet, quando rem omnem recta nobiscum uia reputamus, nostra fert sententia, suum tamen cuique, et nobis nostrum, si quid postea probabilius occurrerit, iudicium, liberum, ac solutum relinquimus

### VIII

Sed prorsus in tuto collocandus est THOMAS BURNETIVS, ac proinde illa etiam obiectionum tela sunt re-  
tundenda, quae in eum adegit Auctor *Mosis uindicati*, a) leuis profecto, quantum ad hoc saltem argumentum spectat, armaturae miles. Quascunque enim pro impingendo,

B 3

do,

u) Institut. L. III. Sect. III. c. 14. p. 205. it. Sect. III. c. 17  
conf. idem concion. Belg. 8. in Ioh. 17

x) aduersus Smiglec. de uerbi incarnatione C. XI, p. 67

y) L. II. C. II. III

z) Theol. L. II. c. 19. 21

a) p. 55. sq. Prodiit *Amstel.* 1694. 12. v. *Act. Erud. A.* 1695. p. 20. auctore IOH. GRAVEROLIO, qui Lugduni primum in Gallia, deinde Londini Gallorum ecclesiam moderatus est. Scripsit alias, sub nomine *Roligrauii* diss. de religionum conciliatoribus, contra librum d' Huisseau, sur la reunion du christianisme, u. *Melanges Critiques d' Ancillon.* T. II. p. 86. Item: l'eglise Protestante, iustificée par la Romaine, sur quelques points de controverse. Geneu. 1682. 12.



do, THOMAE, de materiae aeternitate, errore, conquirit rationes, in ipsius BVRNETII doctrinis, si Diis placet, fundatas, ita comparatas esse, ut reuera nihil minus, quam hoc illud, cuius gratia sunt adductae, demonstrent, quilibet aequus rerum aestimator, ac iudex, sua sponte peruidebit. *Prima est, quod multis in locis supponat, naturam rerum omnium effectricem.* Non commemorabimus ambiguitatem, qua uox, *natura*, laborat, neque istud attingemus, in deteriore rem partem ea auctoris loca, ubi docet, in causis secundis non statim ad Deum, uel ad miracula, recurrendum esse: sed perliberaliter largiemur tantisper, quicquid aduersarius proponit. Qualis autem erit nexus? *Quicumque supponit naturam rerum omnium effectricem, is affirmat, Deum creasse uniuersum ex materia aeterna.* Eiusdem roboris altera ratio est: *quod priora Geneseos capita in meram allegoriam, ad captum populi confictam, transferat.* Ecquid uero huic allegoriae rei est cum aeternitate materiae? Si quid haec ratio probare debebat, eo tantum ualebat, mundum non ex nihilo creatum esse. Verum sic non disputas contra Archaeologum, mi GRAVEROLI, qui pro eo palam annititur. Prodeat in medium *tertia* ratio, ubi enim insita uis probandi deest, ibi forte *numerus* quid efficiat: *quod ex materia antecedente, de cuius tamen creatione constare nobis ex nulla scripturae parte queat, terram eductam fingat.* Recte ita ex mente BVRNETII. At uero materies illa subiecta non est aeterna BVRNETIO, ut supra ostendimus. Ergo et huius argumenti neruus incisus est. Denique *quarta* accipe: Archaeologiae scriptor *omnia scripturae loca, in quibus terrae coelorumque productionis gloria in Deum tota refunditur, perquam dubia reddit.* Fac, rem ita se habere, nunquam

quam



quam tamen materiae aeternitatem ex eo probabis. Illud potius inde confici uidebatur, coelum ac terram, et quoad materiam, et quoad formam, aeterna, uel, si mauis, ex rebus subiectis formata esse. Ita uero *illud* plane abhorret ab sententia BVRNETII, *hoc* aeternitatem minime includit. En tibi exemplum, quorsum delabantur homines, qui semel ita animum induxerunt, ne uerbulum quidem aduersarii sine animaduersione ac notatione praetermitti oportere

### VIII

Quanto autem a monstrosa illa, de materie quadam aeterna, condendo huic uniuerso a Numine adhibita, persuasione, remotiorem esse peruicimus THOMAM BVRNETIUM, tanto inuicem ad eandem inclinationem animaduertimus NATALEM ALBERTUM VERSEVM, quem ipsum libelli, cetera haud infciti, qui inscribitur, L'IMPIE CONVAINCV, ou *Dissertation contre Spinoza, dans laquelle l'on refute les fondemens de son Atheisme.* Amstelodami A. 1684. 8. euulgati, auctorem esse, *Noua reipublicae litterariae* b) commemorant, Virum, quem et in numerum praestantium ingeniorum iure quodam suo aggregates, et in tabulas hominum, doctrina illustrium, merito referas, atque adeo ad memoriam posteritatis, a litteris instructae, insignem, sed, quod uehementer dolemus, haec decora omnia, maculis quibusdam, quas haud facile eluat, desultoria inprimis ac instabili animi leuitate foedissime contaminantem. Quod quidem uitium eo conspectius in se crimen habuit, quo

b) A. 1684. T. II, Octobr. p. 313



quo magis proiectam hanc libidinem secutus, ipsam etiam Numen colendi, quam ingressus erat, rationem, horrendis quamlibet deformatam erroribus, commutavit cum alia, nihilo meliore, uerum et hac mox deserta, alius cuiusdam sentinae sordibus sese commaculavit, denique, ab eo, in quo se adhuc uolutauerat, luto, perpurgandus scilicet, pristinos illos, sed turbidos inquinatosque fontes repetiit. *Pontificiorum* enim sacris primo addictus, deinde ad *Reformatorum* castra transiit, sed et his nuncio remisso, *Remonstrantium* sectae sese tantisper applicuit, dum et huius pertae-sus, ad *Pontificios* demum rediit homo, ab *Unitariorum* etiam placitis, nisi fallimur, non prorsus abhorrens c).

X

e) Non alienum ab hoc loco existimo, subnectere indicem scriptorum, ab VERSEO in uulgus editorum, quoniam ea partim indolem animi eius magis declarant, partim in nostris quidem oris non satis innotuerunt. Scripsit nempe, praeter librum citatum, I. Arminianus adhuc, sub nomine *Leonis de la Guionniere*, *Le protestant pacifique, ou traite de la paix de l'eglise, dans lequel on fait uoir par les principes de Reformes, que la foix de l'eglise catholique ne choque point les fondemens de salut, et qu'ils doiuent tolerer dans leur communion tous les chretiens du monde, les Sociniens, et les Quackres meme, dont on explique la religion. contre Msr. Jurieu. Amsterd. 1684. 12. uid. P. Baelii lettres choisies P. I. p. 172. Act. Erud. Lat. A. 1684. p. 357. seq. II. Calamum strinxit anno 1684. contra Bredenburgii demonstrationem, qua is, deserta, quam antehac contra Spinosam defenderat, sententia, probabat, unicam dari naturam, quae necessario existat, atque ex immutabili, ac in euitabili necessitate agat, sub nomine *Latini Serbatti Sartensis* uid. *Leibnit. Theodic. §. 372. III. Edidit L'auocat de Protestans, ou traite du Schif-**



X

Hic igitur, de quo iam exposuimus, VERSEVS, tantum quidem illi, de materiei aeternitate, sententiae, tribuit, ut, quando in libello, supra allegato, dedita opera contra Spinofam disputat, non modo totam confutationis suae molem eidem, ceu immoto prorsus fundamento, superstruat, sed eos etiam, qui Numen aliquod existere negant, hoc principio praefulto, eo adigi posse confirmet, ut, quo se uertant, non

C

ha-

Schisme, dans le quel on iustifie la separation des Protestans d'auec l'eglise Romaine, contre les obiections des Sieurs Nicole Brueys, et Ferrand. Amsterd. 1686. 12. uid. *Act. Erud. Lat.* T. I. Suppl. p. 212. sq. III. Redux ad Pontificios, euulgauit L'anti-Socinien, ou nouvelle apologie de la foy catholique, contre les Sociniens, et les Caluinistes. Paris, 1692. 12. Prodiit etiam sub titulo: Tombeau du Socinisme. V. La clef d'Apocalypse ou histoire de l'etat de l'eglise chretienne, sous la quatrieme Monarchie. Paris. 1703. 12. contre M<sup>r</sup>. *Jurieu*. VI. historiam Criticam V. T. *Richardi Simonii*, anno 1681. Latine conuertit, quae tamen uersio nec ipsi Simoni, nec aliis, se probauit, multis scilicet erroribus plena, qui iis etiam in oculos incurrunt, quibus ulla Criticae sacrae est intelligentia, uti auctor praefationis ad edit. Roterodam., Gallice 1685. excusam, loquitur. VII. *Celeberr. Wolfius* P. II. Bibl. Hebr. p. 58. notat, Verseum, et Clericum auctores esse Iudiciorum quorundam Theologorum Batauorum, de historia Critica R. Simonis, quae Amstel. 1685. 8. prodierunt. Quod ipsum quidem male habuit Clericum, negantem plane, Verseum huc pertinere. u. *Biblioth. ancienne et moderne*, T. XVI. p. 335. 336. Sed durissime exceptus est in *Iourna.*



habeant. Tres enim fere primarias esse hypotheses, quibus omnis atheismi euersio inniti soleat. *Primam* eo ualere, quod uniuersum hoc, et quicquid a Numine conditum est, ex eiusdem essentia emanauerit, quo constituto, illud sequi, mundum ex diuina essentia delibatum ac excerptum, ipsiusque rerum omnium opificis, Dei, particulam quandam esse. *Alteram* uero tueri, quod mundus, una cum materia, ab ente quodam summo, omnipotente, infinito, aeterno, ac independente, ex *nihilo* sit effectus. *Tertiam* denique duo ponere entia, increata, aeterna, et, quantum ad existentiam pertinet, independentia, *Deum* alterum, ens infinite perfectum, et omnipotens, fontem, originemque omnis perfectionis: alterum *Materiam*, ens per essentiam imperfectum, ab omni potentia, uita, atque intelligentia destitutum, ita tamen comparatum, ut has quidem perfectiones omnes, efficacissima numinis operatione, recipere possit. Ad *ILLAM* quantum attinet, ipsam sese destruere ac conuellere, iudicat *NATALIS ALBERTVS*. Pone enim, inquit, emanasse omnia ex substantia diuina, infinite perfecta, illud simul largiendum erit, omnia infinitis pariter perfectionibus exornata esse, et ne minima quidem, quae mente fingi possit, imperfectione, laborare oportere. At enim uero, rem multo sese aliter habere, usu rerum ac experientia quotidie nos edoceri. Praeter ea autem negat, eam consistere posse cum immensitate diuina. Etenim, cum ex ente quodam immenso atque infinito, proprie loquendo,

Journ. des Saurans 1722. Mai. p. 569. ed. Amstelod. conf. Celeb. Pfaff. Introd. in hist. Theol. literat. P. I. p. 58. et de Verbo, passim, P. II. huius Introductionis



do, nil quicquam *emanare* queat, illud iam inde consecuturum esse, ut mundus operatione quadam, uti loqui amamus, immanente, sit productus. ISTAM uero, de creatione ex nihilo doctrinam, hodie quidem communi fere omnium consensione probari, maximopere etiam conformem uideri infinitae Dei potentiae, prouti nos saltem eius rationem cogitando assequi possimus, attamen eandem neque ad insultus atheorum eludendos magnam afferre commoditatem, neque satis tutam, quin potius *parum probabilem*, ualdeque *suspectam* esse, quod ultimum quidem, in progressu operis liquido se demonstraturum, recipit. His igitur facile occurri posse, concedit, qui ex eo, quod infinita detur distantia inter non ens, uel nihilum, et ens aliquod uerum, creationem ex nihilo infringere conentur: cum enim potentia Numinis, quod et illi uolunt, sit infinita, illud iam inde elici, nihil esse Deo expeditius, quam, ea quoque distantia superata, quicquid modo placuerit, et liberrime, et potentissime perficere. Verum alia multa superesse contendit auctor, quae maximopere impediunt, quo minus huic quidem sententiae calculum adiacere possit: Nam primo, eam longe recentiore esse, atque plurimi forte persuasum habeant, utpote quae per aliquot a nato Seruatore saecula profundissime fuerit ignorata. TERTULLIANVM enim primum omnium fuisse, qui eam confluxerit, ac aduersus Philosophum quendam christianum, pro aeternitate materiae propugnantem, hoc suum *euenua*, defendendum suscepit. Tum uero apud omnes sapientum sectas familiasque neque uolam, nec uestigium eiusdem reperiri, et, quod inprimis notandum,

IX

C 2

ne



ne apud eos quidem, qui ad probandam Numinis existentiam summo ceteroqui studio incubuerint, nominatim *Anaxagoram, Parmenidem, Melissum, Platonem, Stoicos*, ad unum omnes. Vniuersos enim in eo conspirasse, quod *ex nihilo nihil fieri possit*: hoc adeo illud, ut principium primum, ac ueritatis inuictae pronunciatum, immo ut axioma indubitatae euidetiae, ab omnibus et singulis receptum esse. Quin Mosen etiam, in enarranda creationis historia, ita uersari, ut ipsemet agnouisse uideatur illius, quod modo attulimus, axiomaticae ueritatem, nec obscure insinuare, se de praeeistente quadam materie certum fuisse, unde Paulum etiam in Ep. ad Hebraeos C. XI, 3. scribere, affirmat: *Deus fecit ea, quae cernimus, ex non apparentibus*, uel, uti Gallice conuersum est, *Dieu a tiré les choses uisibles de celles, qui ne l'etoient pas*. Vocem *creare*, neque apud Hebraeos et Graecos, neque apud Latinos, sonare creationem ex nihilo, quam notionem, a nemine ueterum uoci subiectam, neque nos eidem subiecturos fuisse, credit, nisi mens nostra, praeiudicata ista, de creatione ex nihilo, opinione, fuisset occupata. Denique arbitratur, nos necessitate quadam compelli, ut, ponendo, Deum fuisse solum illud ens, quod ab aeterno extiterit, mundum uero ante quam creatus fuerit, nihilum et non ens fuisse, simul statuamus, *que tout est Dieu*, quod tota rerum uniuersitas sit Deus, et, quod hic omnia ex sua essentia procreauerit. Quibus ita declaratis, quid de *tertia*, quae materiae aeternitatem stabilire conatur, sententia, existimet VERSEVS, quantumque eidem statuatur pretium, facile cuius patebit



XI

Et haec fere sunt, quae in praefatione exhibet VERSEVS, eo quidem distinctius nobis commemoranda, quo magis opinionem ab eo adoptatam iuuare, in doctrinam uero de creatione ex nihilo iniuria esse uidentur. Nos igitur auctorem suis persecutori uestigiis, ea, quae hactenus disputauit, prius discutiemus, quam ad reliqua aggrediamur, atque, ut hinc nostra se primum efferat disceptatio, illud perquiremus, utrum TERTVLLIANVS huius, de creatione ex nihilo, doctrinae, primus auctor, inuentorque iure haberi queat, an uero eadem iam tum aliis ante TERTVLLIANVM Doctoribus fuerit familiaris? Quam causam hoc minus dubitamus in eam disputare sententiam, ut peruincamus, non omnino nullos sanctioris coetus Doctores, ante SEPTIMII tempora, de productione uniuersi ex nihilo, certos fuisse, quo luculentiora suppetunt testimonia, quibus id, quod res est, peregregie confirmatur. Ac propter ea quidem scientes abstinemus, quo minus in partes uocemus TERTVLLIANVM d), qui, dum *Hermogenis* doctrinam *nouellam* esse perhibet, hoc illud subindicat, oppositum huic dogma, quod creationem ex nihilo tuetur, communi omnium consensu adhuc firmatum esse. Obiici enim poterat, nos parum commode Septimum ipsum, hanc in rem, citare testem, utpote cuius fides, quantum ad hoc saltem caput attinet, usque adeo lubrica sit atque angusta, ut eadem tuto stari nequeat

XII

Quando igitur in eo iam sumus, ut, doctrinam de

C 3

crea-

d) c. l. contra Hermog



creatione uniuersi ex nihilo, non quidem a TERTULLIANO temere confictam, sed aliis etiam, hoc multo antiquioribus, cognitam ac perspectam fuisse, demonstramus, primum quidem omnium ad *Constitutiones Apostolicas*, quae sub *Clementis Romani* nomine circumferuntur, nos recipere poteramus, ubi illustris plane locus habetur, hanc in sententiam: *Quemadmodum Mosi credimus, dicenti, in principio creauit Deus coelum et terram, ac scimus, Deum NON INDIGVISSE MATERIA, eodem modo uniuersos resuscitabit, opis non indigens e*). At enim uero tantum abest, ut Constitutiones haec ab ipso *Clemente* profectas esse, cum IO. CAR. BOVIO, FRANC. TVRRIANO, RICH. MONTACVTIO, reliquis, existimemus, ut potius IO. DALLAEO, NAT. ALEXANDRO, PETAVIO, HALLOIXIO, CHRIST. LVPO, POSSEVINO, infinitis propemodum aliis, qui eas *Clementi* subiectas esse, roboris inuicti argumentis comprobarunt, haud inuiti assentiamur: immo, a B. ITTIGIO *f*) submoniti, ne secundo quidem, aut tertio, sed quarto demum saeculo eas confictas, sexto autem saeculo ab homine quodam Ariano, foedissime corruptas atque interpolatas esse, statuamus

### XIII

Omissis itaque Constitutionibus, ad HERMAE conuertimur PASTOREM, ab uniuersa, qua meliorum est partium, antiquitate, perquam celebratum, ubi per insigni testimonio id, quod iam exquirimus, confirmatur. Ita uero HERMAS: Πρῶτον, inquit, πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεός, ὁ τὰ πάντα κτίσας, καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ μὴ ὄντος εἰς τὸ

e) L. V. C. VII. p. 311. Tom. I. PP. Apostol. Coteler. ed. 1724

f) Hist. Eccl. Saec. I. p. 53



τὸ εἶναι g). Haud dissimilia sunt, quae profert, foemina, discedente coelo, Hermae in nubibus uisa b). Nos tamen priori quidem loco eo maius statuimus pretium, quo saepius ad ipsum priscos respicere obseruauimus Patres, nominatim IRENAEVM, i) qui eum, ceu Scripturam S. allegat, in eodem scilicet, ac nonnulli illorum temporum Patres, uersatus errore, quo hi ducti, Pastorem in Canonem Scripturae referendum esse, contendebant, ORIGENEM, k) ATHANASIVM, l) NICETAM m) quoque, et PHILASTRIVM, n) annotante Cel. FABRICIO o). Neque sane multum interest, utrum HERMAS, de quo hactenus tradidimus, uir fuerit apostolicus, ac Pauli discipulus, cuius fit mentio Rom. XVI, 14. quod IRENAEO, TERTVLLIANO, ORIGENI, HIERONYMO, pluribus aliis, non sine fundamento, persuasum est, an uero Hermas, Pii I. Episco-

g) L. II. Pastor. Mandat. I. p. 85. T. I. PP. Apost. Habetur etiam hic locus in *doctrina Pseudo-Athanasii* ad Antiochum Ducem, inter fragmenta Hermae, Tomo III. praestantissimae editionis Athanasii, a B. Montfaucono, inserta, p. 252. sq. conf. *Celeb. Fabric. Bibl. Gr. Vol. V. p. 9*

b) L. I. Vision. I. p. 73. l. c.

i) Lib. III. adu. haeret. c. 37. p. 266. ed. Gallaf. 1570. testante hoc *Eusebio* H. E. L. V. c. 8

k) Lib. I. de princip. c. 3. et Lib. II. c. 1. it. in Ioh. I. T. I. Comment

l) de incarnat. uerbi T. I. pag. 55. edit. Lips. et Paris. it. de decret. Synodi Nic. T. I. p. 266. it. in epist. ad Africanos T. I. p. 936. quem locum repetit *Theodoretus* H. E. L. I. c. 8

m) ad Greg. Nazianz. Orat. 40

n) haer. 12. p. 258. conf. haer. 80. p. 154. edit. Fabric. et ad locum posteriorem nota celeb. Editoris

o) *Bibl. Gr. Vol. V. p. 8*



Episcopi Romani, frater, quod quidem haud pauci, *Pseudo-Damasi*, in uita Pii, et Scriptoris carminum aduersus Marcionem, *Tertulliano* falso tributorum, auctoritate inducti, arbitrantur. Neque attinet, disputare, fuerit ne Hermas sui temporis fanaticus, qui Deum, geniosque coelestes secum esse collocutos, falso contenderit, quod DAV. BLONDELLVS, p) B. ITTIGIVS q) et Celeb. MOSHEMIVS r) ex uisionibus Hermac, *laruati prophetae somniis* perquam similibus, demonstrari posse, asseuerant. Istud enim utcunque sese habet, et antiquitati, et ueritati, nostrae, de qua laboramus, sententiae, nulla ratione fraudi esse poterit.

## XIII

Hermam excipiat IVSTINVS, *Martyr* ille, ac *Philosophus*, ad quem nos quidem eo prouocamus promptius, quo magis istud, pro quo in praesenti annitimur, aperte et ingenue confitetur, et ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri uideatur. Hic igitur *antiquissimus spectatissimusque Ecclesiae Doctor*, rationem fidei, suae pariter, atque aliorum, qui Christi sacra amplexi fuerant, redditurus, hanc rerum uniuersitatem, non quidem immediate ex nihilo productam, sed ex subiecta potius materie, ueruntamen non aeterna, sed ab numine ex nihilo creata, concinnatam esse, tradit. Ita enim, πάντα, inquit, τὴν ἀρχὴν, ἀγαθὸν ἔντα, δημιουργῆσαι θεὸν, ἐξ ἀμορφῆς ὕλης, δι' ἀνθρώπων, διδιδάμεθα s). Quod uero per ἀμορφὸν ὕλην IVSTINO nihil denotetur aliud, quam

p) apolog. pro sentent. Hieron. de episc. et presb. p. 16

q) H. E. Saec. I. p. 155

r) u. Diss. de causis supposit. librorum Saec. I. II. p. 28

s) Apol. II. p. 58. OO. ed. Colonienf



quam *Chaos Mosaicum*, a Celeb. *Grabio*, in praestantissima huius apologiae editione, ostensum esse, relatum legimus in *den neuen Vnterredungen* Mense Ian. p. 57. Sed enim uero quibus hanc in rem rationibus usus sit *Grabius*, peruidere non datum fuit; non enim nobis licuit esse tam felicibus, ut elegantissimam illam editionem nancisceremur. Ac propterea nobis ipsis has partes datas intelleximus, ut, *doctrinas Martyris* diligenter secum contendendo, mentem Patris peruestigaremus, in quo tamen, si tuae quidem, Lector, expectationi, quod facile cogitatione praecipimus, minus fecerimus satis, id ipsum ingenii, quod a natura tributum est, mediocritati, uti condones, peramanter rogamus. Hoc igitur cum agamus, ut eam, de materia informi, opinionem, asseramus **IUSTINO**, quae chaos defendit Mosaicum, relictis omnibus commonstrandum erit, *Martyrem* nostrum hoc loco non differere de *materia* quadam *aeterna Platonica*. Sunt enim hodie nonnulli, quibus nihil omnino dubitationis datur, quin ea sit mens Patris, Platonice ante innutriti doctrinis, quam Christo Seruatori nomen dederit. Ita cense-re uideas quendam, de apologia hac II. Iustini, quasi de tribunali pronunciantem, in *Obseruationibus*, iisque, si fides inscriptioni habenda, *selectis*, et ad rem litterariam spectantibus, quae *Halae Saxonum*, seu *mauis*, *Soraborum*, sunt conceptae *t*). Ille enim ex ungue leonem, hic inprimis sibi agnoscere uidetur. *Torquet eum*, inquit, *Platonica opinio, nec nihilum, sed informis aliqua materia aridet, ex qua cuncta fuisse condita, affirmat*. Idem placuit auctori *der neuen Vnterredungen*, *u*) supra allegato. Iustinum enim, utpote qui se totum in disciplina Plato-

D

nis

*t*) Tom. II. obs. 9. §. 6.      *u*) p. 57



nis collocarat, eiusdem etiam doctrinis imbutam, dogmata praeceptoris, quavis occasione Scripturae accommodare, prorsusque persuasum habere, quod Moses in eandem, de hac informi materia, sententiam, tradat, ac Plato: *Iustinus drebe die Platonische Philosophie jederzeit nach der Schrift, und bilde sich gänzlich ein, Moses habe gleiche Meinung von dieser unausgearbeiteten Materie, mit Platone gehabt, der sie doch, pro Deo coaeterna, halte.* At enim uero, nisi in re admodum explorata, magnopere fallimur, auctorem nostrum, ea, quae adduximus, uerba, mentis acie perquam hebescente, conscripsisse, ac prae nimia libidine, optima quaeuis falsissime ridendi, acerrimeque exagitandi, eodem iudicii morbo laborare, arbitramur, in quem *Salmasium*, de acumine Iustini Philosophico existimantem, ex nimia Critices aestimatione, incidisse, impudenter propemodum contendit. Ad hoc enim pro se quisque acriter mihi attendat animum, annon haec repugnent: Platonis accommodare placita Mosi, et tamen opinari, Moses idem sensisse, quod Plato. Etenim, quicumque ultimae huic accedit sententiae, is quidem non Platonem Mosi, sed Moses Platoni accommodare censendus est. Iustinum autem Platonis, de creatione, doctrinas Mosi accommodasse, si etiam largiremur auctori, illud tamen solum conficeretur, eum non arbitrari, quod Moses idem sentiat, quod Plato. Finge igitur hominem, qui Platonem in doctrina de creatione accommodare studeat Mosi, is sane per *ἀνορθον ὕλην*, non materiam aeternam, sed molem aliquam e nihilo creatam, intelliget: an recte illud ex mente Platonis, non disputamus. At uero, neutrum profecto de Iustino, iure praedicari potest. Neque enim putauit, Moses de creatione idem doce-

doce-



docere, ac Plato, neque Platonem eadem sentire, quae Moses. Vtrumque ab instituto et rationibus Martyris abhorrebat quam maxime, quod sequentem in modum confirmamus: Prisci ecclesiae Doctores, id quod apud omnes est in confesso, hoc sibi in primis negotii datum esse crediderunt, ut animos gentilium ab sapientum suorum placitis, quibus summa fere religionis ethnicae continebatur, abalienarent, atque sanctoribus Christi doctrinis imbuerent, quo sine haud dubie excidissent, persuasuri gentilibus, Scripturam, in primariis fidei capitibus, haud diuersa proponere a doctrinis Philosophorum. Illi enim statim occurrere poterant: Si quidem doctrinae christianae ita est comparata ratio, ut eidem, in principalibus saltem locis, cum religione nostra exacte, bellissimeque conueniat, ecquidnam opus est, hanc cum illa commutare? quae nos urget necessitas, ut mille cruciatibus ac tormentis, ferro, igni, bestiis, scientes nos obiiciamus uolentesque? Age igitur, permaneamus in nostris sententiis. Amplius, haud difficulter agnoscebant Patres insignem differentiam inter dogmata gentilium, et christianorum, in arduis praesertim capitibus, in quibus illam de creatione doctrinam principem fere obtinere locum, exinde colligimus, quoniam *Tatianus*, Iustini discipulus, διὰ τῆς τῆ παντὸς ποιήσεως τὸ εὐκατάληπτον, ut ad Christianos transiret, se permotum esse, scribit x). Hanc igitur de creatione doctrinam, apud christianos captu facilem, toto simul coelo ab gentium de eadem traditionibus *diuersam*, (satis enim perspicue ceteroqui ab iis proponebatur) et unice *ueram* esse, oportet, cum praeterea, sub initium

*Euerfionis Dogmat. Aristotel.* quod, ipse etiam *Iob. Landus*

D 2

gus

x) Orat. ad Graec. p. m. 102. ed. Worth, Oxon. 1700, 8



gus, indolem Iustini redolere, scribit, doctrina Scripturae, de creatione, ut *Vera*, Philosophorum de ea persuasionibus, ut *falsis*, opponatur *γ*). Quae cum ita sint, uix assequimur, qui Iustinus existimare potuerit, Mosens de creatione idem docere, quod Plato. Verum nec inuerso progressurus ordine, statuere potuit, Platonem idem docuisse, ac Mosens. Etenim clarissima obstant Patris loca: sic p. 93. diserte scribit: *ὅτι τὰ αὐτὰ ἡμεῖς ἄλλοις δοξάζομεν, ἀλλ' οἱ πάντες τὰ ἡμέτερα μισθόμενοι λέγουσι.* Platonem itaque ex uerbis Scripturae, et imprimis Mosens, antiquissimi scriptoris, quod familiare ipsi fuit, ansam sumfisse statuit, suos quidem comminiscendi errores, (quorsum e. c. pertinet illa de *ideis* opinio *z*): uti, et poetas ex Mosens *tenebris erebum* confinxisse, putat). Hinc eum uerba illa: *terra erat inanis*, de terra praeeistente: haec uero: *Deus fecit coelum et terram*, de terra, iuxta praeeistentem ideam, a Deo creata, explicare, docet *a*). Facile igitur explanari potest locus, p. 91. apol. *Proinde uerbo Dei, ex subiectis, quas Mosens ostendit, rebus*, (modo autem allegauerat uerba: *In principio creauit Deus Coelum et terram*) nempe *chao illo, a Deo ex nihilo producto, factum esse mundum, et nos, et Plato, qui ex terra praeeistente factum esse contendit, didicimus*, in quo tamen Philosophum *lapsum esse*, haud inuitus confitetur *Martyr. b*). Ex his itaque, quid Iustinus per *ἀμορφον ὕλην* intelligat, et quantum ea, ab materia Platonis aeterna differat, facile iudicium ferri poterit.

## XV

Fufius aliquanto haec disputauimus, nec tamen eius  
nos

*γ*) pag. 110. OO      *z*) uid. cohort. ad Graec. pag. 29. OO.

*a*) *ibid.*      *b*) *ibid.*



nos poenitet: non enim committendum uidebatur, ut ueritas a sanctissimo Patre defensa, sed ludibrio laesa, in dubium reuocaretur. Accingimur itaque ad duo, quae restant, illustria Martyris loca, et ea quidem ex *Euersione dogmatum Aristotelis* desumpta. Vtrum hic, de quo exponimus, liber, uere a Iustino conscriptus, an uero eidem sit suppositus, quam in diuersum trahant auctores, non ignoramus: sed illud etiam ingenue confitemur, rationibus istis, quibus, eum Iustino subiectum esse, confirmare conati sunt dissentientes, facili opera fieri posse satis. Quae enim a scribendi genere, quo usus sit, desumuntur, ea partim rectius explicari, partim ab aliena manu intrudi potuisse, existimamus. Neque testimonium PHOTII nobis obstare poterit. Hic enim de iis tantum, quae legit, scriptis iudicauit, unde profecto non licet argumentari, haec tantum, nec plura, ab auctore confecta esse: neque in iis etiam, quos Photius non commemorat, libris desiderantur λόγοι ἐπιχειρηματικοὶ καὶ βίαιοι, καὶ χειρῶδες. Veniamus igitur ad propositum. Duplici ratione aliquid ingenitum dici posse, Iustinus docet, c) uel per priuationem, uel per simplicem negationem: *illud* generationis, quae futura esse potest, priuationem denotare, ac in rebus, generationi subiectis, reperiri, tradit: tale ingenitum e. c. esse aes, quod statua fieri possit, antequam statua fiat: *hoc* in rebus tantum sempiternis, u. c. Deo, obuium, generationem omnino omnem negare. Ergo igitur, cum materia, secundum Philosophos, ingenita dicatur modo posteriori, et uero ex ea Deum aliquid efficere posse, concedatur, illud iam concludit, Deum etiam ἐκ τῆ ἀπλῶς μὴ ἔντος, aliquid facere posse. Eandem enim ingenito per nega-

D 3

tio-

c) p. 122



tionem inesse ἀνεπίτηδείτητα, ut ex eo quid fiat, natura et arte, atque τῷ ἀπλῶς μὴ ὄντι. Omittimus reliqua, breuitati studentes, ad alterum progressuri locum, antecedente illo adhuc clariorem, ac fortiozem d). Exhibeamus summam eius Graece: εἰ μὴ, ὡς ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὰ ἐκ τῆς ὕλης, ἕτως καὶ τὴν ὕλην ἐποίησεν, ἅρα ἄρα ποιεῖ ὁ Θεὸς ὅσα βέλεται, ἀλλ' ὅσα ἰχύει. εἰ δὲ ἴσῃν τῇ βελλήσει ἔχει τὴν ἰχὴν ἐν πᾶσι, ποιητὴς ἄρα τῆς ὕλης ὁ Θεός, ὡσπερ καὶ τῶν ἐκ τῆς ὕλης. Et haec fere sunt, quae ex Iustino adducere placuit loca, satis quidem, abundanterque demonstrantia, quantum ab impia illa, de materiae aeternitate, sententia fuerit remotus, quantoque studio eidem saltem creationem ex nihilo asseruerit. Neque dubitamus, plura eum forte atque ampliora praestirisse, ἐν τοῖς ἀναγκᾶσι κατὰ μαρκίωνος, λόγοις, Photio lectis, qui partem forte utilis illius, ibidem memorati, contra omnes haereseis, operis, constituerunt, quos tamen, iniuria temporum intercidisse, uehementer dolemus

## XVI

Nondum excussimus omnia Patrum, qui ante Tertulianum floruerunt, de creatione placita. Prodeat igitur in medium IRENAEVS, ὁ ἐγγύς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, eoque magis fide dignus testis. Hic autem, uere ridicula tradere Valentinianos, scribit, qui non credunt, quoniam ipsam materiam, cum sit potens et diues in omnibus Deus, creauit e). Cum tamen attribuere substantiam eorum, quae facta sunt, (substantia autem et materia Irenaeo unum idemque ualent) uirtuti et uoluntati eius, qui est omnium Deus, et credibile et acceptabile, et constans sit, et in hoc bene dicatur, quoniam quae impossibilia sunt apud homines,

d) p. 145. e) L. II, adu. haeres. c. X. p. 108. ed. Gallaf



*mines, possibilia sunt apud Deum. Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subiacenti: Deus autem, quam homines, melior, eo, quod materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinuit f). Ex hoc itaque, quam trita atque per- vulgata inter Patres fuerit doctrina de creatione, saltem materiae mundi, ex nihilo, quantumque hic noster fallatur VERSEVS, luculenter apparet*

XVII

Non dissentit ab Irenaeo THEOPHILVS, Antio- chenus Episcopus, trium ad Autolyicum librorum, auctor, sed ingenue potius, quae et qualis sanctorum Dei hominum de creatione uniuersi fuerit doctrina, exponit, eam scili- cet in sententiam se ab iisdem edoctum, professus, quod Deus ex nihilo omnia creauerit. Συμφώνως, inquit, ἐδι- δαξαν ἡμᾶς οἱ προφῆται, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ πάντα ἐποίη- σεν ὁ Θεός g). Quibus uerbis nullum profecto illustrius, de creatione ex nihilo, Patribus credita, documentum re- quirere poterat *Verseus*. Ne autem existimes, forte in- consulto animi impetu abrepto, haec excidisse, THEO- PHILO, paucis interiectis, historiam creationis pluribus ex Mose edisserit, sed ita, ut prius materiae etiam ipsius originem declaret: quam quidem, non sempiternam ac independentem, sed a Deo creatam esse, affirmat b.) Cum itaque et materiam mundi ad Deum referat, et mundum ipsum ex nihilo creatum esse, pronunciet THEOPHILVS, ueram, sanamque de creatione doctrinam, eidem cogni- tam ac perspectam fuisse, dubitari amplius non potest

XVIII

Denique ultimo loco TATIANVM attingemus, Iu- stini

f) ib. C. XI. p. 109.

g) L. II. ad Autol. p. m. 116. ed. Wolf

b) p. 122.



stini discipulum, ac ex ea re eadem plane de creatione commemorantem, quod docuisse praeceptorem, superius peruicimus. Nempe *uniuersam mundi machinam, et quicquid in ea conditum extat, e materia quidem constitutum, ipsam uero materiam, principii haud immunem, a Deo productam esse* i). Quae, si cum iis, quae §. 14. a nobis sunt allata, contendamus, ad liquidum perducent, Patrem nostrum ab doctrina de aeternitate materiae, tanto fuisse alieniorem, quanto quidem propius ad scripturae dogmata, ea, quae de creatione exponit, accedunt

### XVIII

Remotis iam, uti opinamur, iis difficultatibus, quibus dogma, de creatione rerum omnium ex nihilo, ex eo premi uidebatur, quod a Tertulliano, primum illud confictum esse, iudicabat *Verfeus*, ad alia progredimur soluenda dubia, quibus Auctor, id impeditum esse, existimat. Enascuntur haec potissimum ex eo, quod omnibus antiquis Philosophis doctrinam hanc fuisse ignoratam, contendit noster. Anceps hic est, et lubricus locus, turbatisque priscarum rerum uestigiis confusus. Plerosque certe omnes materiae aeternitatem uindicasse, ita fere notum prouocatumque est, ut res demonstratione non egeat. Neque enim *Xeniades Corinthius*, Democrito antiquior, huic sententiae, de creatione ex nihilo, patrocinator est, quando apud SEXTVM EMPIR. k) ἐκ τῆ μὴ ὄντος, inquit, πᾶν τὸ γινόμενον γίνεσθαι. Etenim, quam prope etiam haec uerba a nostra opinione abesse uidentur, longe tamen aliam iisdem notionem subiectam uoluit Philosophus. Diuersus scilicet ab aliorum sapientum placitis, qui omnia tan-

i) uid. Orat. ad Graecos p. 46. 22, 23. ed. Oxon. k) L. I. c. Logicos p. 381. ed. Fabric



tum mixtione et seiunctione, nihil uero ἐκ τῶ μὴ ὄντος fieri putabant, immutabilem nempe rerum professi substantiam, e contrario, in natura rerum perpetuam esse mutationem affirmat *Xeniades*, ita ut aliquid incipiat esse res, quae antea non fuerat, v. c. ex ligno pomum, nihil sane, quod, creationem ex nihilo sibi persuasam fuisse, demonstret, hoc loco tradens, uti a Celeb. FABRICIO, l) et GASSENDO m) rectissime notatum est. In eandem sententiam disputare *Epicurum*, n) praeter Casaubonum, et Scaligerum, nos docet P. Petrus, qui contra *Marqu. Gudium*, Epicurum dogma de creatione ex nihilo tribuentem, luculenter euincit, Deos Epicurios, quatuor nempe elementa, perinde ut Empedocles statuit, nunc moueri, ac tum generari indiscretam molem, Empedoclis σφαῖρον, ex quo rursus elementa gignantur: nunc quiescere, aliis scilicet temporibus, quae intercidant inter utramque generationem, easque ab aeterno uices in aeternum succedere. Hinc contra Hesiodum, qui χάος suum primum omnium fuisse, et a nullo generatum esse, contendebat, eo, quem allegauimus loco disputat, falso affirmari, quod chaos primum omnium fuerit, quoniam hac ratione ex nihilo illud genitum esse, dicendum sit. At hoc fieri non posse, nihil enim esse, quod primum extitisse aut secundum, dici queat, propter aeternam hanc generationum successionem o). Sed *Anaxagoram* etiam materiae aeternitatem ponere, tam certum est, quam quod certissimum, ut adeo miremur, *Marqu. Gudium*, ex eo, quod Philosophus πρώτος εἴη ὅλη νοῦν ἐπέσησεν, particulasque materiae infinitae confusas, mente di-

E

uina

l) in not. ad h. l. m) Syntagm. Phil. Epicuri p. 249. ed. Amst. 1684. 4. n) apud Laertium L. III. Segm. 10. p. 170. 171. o) uid. Menagii obs. ad Laert. p. 144. 145



uina in ordinem adductas esse, arbitratus est, elicere, quod Deus potius, quam chaos, ipse perhibente Anaxagora, ab initio fuerit *p*). Nihil enim repugnat, (loquor ex mente Philosophi,) materiem aeternam cum aeterno Deo consistere posse. Pariter, nos non profiteamur alienos ab sententia eorum, qui, *Platoni* materiam aeternam creditam esse, ex ipsis Philosophi uerbis, licet parum sibi, uti in reliquis, ita in hoc etiam constantis, demonstrarunt: neque moramur *HIEROCLEM q*) apud *PHOTIVM r*), de Magistro suo affirmantem, quod, *ἐκ μηδενός προὔποκειμένα*, uniuersum fuisse conditum, docuerit, cum inter omnes rerum peritos constet, quam parum recentioribus Platonice hac in parte tribuendum sit: nec in praesenti rem ipsam multis declarare placet testimoniis, cum, de Hierocle quid sentiendum sit, sollertissime explanauerit, Platonem uero, materiam aeternam uere statuiffe, pererudite iam ostenderit *Vener. IO. CHRIST. WOLFIVS s*). Praeterea, quam infeliciter in eo uersatus fuerit *Georg. Trapezuntius*, quod *ARISTOTELEM*, creationi ex nihilo suffragantem, introduxerit, iam pridem demonstrauit *BESSARION t*). Vtcunque tamen sese res habet, neque *Empedoclem u*) contra eos, *οἱ δὴ γίνεσθαι πάρος ἔκ ἐόν ἐλπίζουσιν*, unquam disputaturum, neque *Lucretium* in exordio poematis eos operose confutaturum fuisse, crediderimus, nisi iam tum inter antiquos Philosophos, aliquos saltem, de eo conuenisset, mundum hunc ex nihilo creatum esse. *AVICENNAM* certe, ex nihilo aliquid fieri posse contendentem, acerbè reprehendit *Auerroes x*). *PHILOLAI* quoque, Pytha-

*p*) apud Menag. l. c. p. 143. *q*) in libr. de prouident. et fato *r*) Cod. 251. *s*) de Man. ante Manich. p. 126. 128. sq. *t*) contra calumn. Platonis L. III. 13. 20. 25. 27. *u*) apud *Plutarch.* contra Coloc. p. 972. T. II. OO *x*) L. III, Physic.



Pythagorici, sententiam, ex *Claudiano Mamerto* γ) adducit  
 Celeb. FABRICIVS z), qui hic pluribus conferri meretur.  
 Immo Aegyptios etiam, Deos suos ἀρρενοθήλεις facientes,  
 hoc ipso creationem materiae a Deo, insinuasse, DICKIN-  
 SONVS a) iudicat

XX

Fac autem tantisper, Philosophos ad unum omnes crea-  
 tionem ex nihilo ignorasse, quod quidem nondum con-  
 cessimus, neque tamen istud veritatem eius sententiae in-  
 fringere, neque unquam demonstrari poterit, Mosen ean-  
 dem ita enarrare, ut materiam quandam ante mundum  
 conditum extitisse, insinuet: ipsa enim, qua utitur, uox,  
 בראשית luculenter aperire uidetur, quid de creatione sen-  
 serit Moses. Nouimus, diuersissimas de huius uocis expli-  
 catione, auctorum antiquorum, iuxta ac recentiorum, esse  
 sententias, quas copiose congestas, concinneque distribu-  
 tas, sollertissime prae ceteris diiudicauit Venerandus D.  
 BARTHOL. RVDIGERVS; Theologus Giessensis celeberrimus  
 b). Sed ex omnibus, horum se nobis maxime probauit  
 opinio, qui בראשית דו ita explanandum censent, ut sub-  
 intelligatur, הכל, *omnium rerum*. Qui enim uocem *Ope-  
 rum* hic subinnui putant, ii quidem generatim non fal-  
 luntur, attamen, eandem aeternitati materiae opposituri,  
 minus accurate disputare uidentur. Largiri scilicet pote-  
 rant eius defensores, Deum in principio omnium operum  
 suorum, creasse coelum et terram, sed ex materie subie-  
 cta, quae non sit opus Dei. Mosen itaque, uocem hanc  
 cum nulla alia copulando, id quidem, quod omnium sim-  
 plicissimum est, haud dubie subintelligi uoluisse, existi-  
 ma-

γ) L. II. de statu animae p. 106 z) Bibl. Gr. Vol. I. p. 473. a)  
 Physic. Vct. et Nou. p. 297. ed. Hamb. b) in disp. de Christo, per  
 primam ac ultimam Scripturae uocem indicato. Gissae. 1724.



mamus, simpliciore uero, quam  $\text{כִּבְרָה}$  ideam huic uoci adiungi posse, uix ac ne uix quidem nobis persuaderi patimur. Quando uero auctor noster Paulum etiam Apostolum ad Ebr. XI. 3. subinnuere existimat, quod materia quaedam ante mundum conditum fuerit, in eo quidem maximopere fallitur. Non enim in textu legitur  $\text{ἐκ μὴ φαινόμενων}$ , sed potius,  $\text{μὴ ἐκ φαινόμενων}$ , quae diuersum plane sensum efficiunt. Scopo etiam Apostoli repugnare uideretur, si, Deum ex materia informi mundum produxisse, diceret, quanta enim uis sit fidei, ad summa quae uis enitentis, exemplis demonstraturus, ab hoc sane loco alienissimum protulisset, contendendo, Deum, ex materia ueluti tantisper abscondita, mundum produxisse: Deum enim tantum ut summum considerare artificem, profecto tanti non est, ac eum ipsius etiam substantiae creatorem credere. Praeterea hic duo quasi extrema constituere uelle Apostolum, est in propatulo: fortius autem opponuntur sibi mundus aspestabilis, et nihilum, quam mundus, et materia informis. Ne illud iam afferamus, nihil lucrari eos, qui  $\text{ἐκ μὴ φαινόμενων}$  legi uolunt: nam satis commode cum *Chrysostramo*, *Theodoreto*, *Iustiniano*, *Hunno*, *Gerbaro*, pluribus aliis, per  $\text{τὰ μὴ φαινόμενα}$  intelligere possumus *Nihilum*, mundi, si ita loqui liceat, quasi materiam, cum id quod nihilum est, re uera etiam sit  $\text{μὴ φαινόμενον}$ . Vocem  $\text{כִּבְרָה}$ , de hac enim proprie quaeritur, notare, *ex nihilo creare*, ut pluribus confirmemus, non erit opus, cum id solidissime iam a sexcentis fuerit praestitum. Id certe exploratum est, uerbum hoc, soli Deo dicatum, de *diuinis* tantum actionibus adhiberi, quae infinitam requirant potentiam, et uti  $\text{כִּבְרָה}$  nunquam tribuitur brutis, ita  $\text{כִּבְרָה}$  nunquam effertur de creaturis c). Nulla autem creatura ex nihilo aliquid producere potest. Caeterum nihil noui hic protulit auctor. Quod enim dicit, Mosen creationem ita exponere, ut subiectam intelligat materiem, illud iam olim delirasse Graecos, qui ex Theologia Aegyptiorum Mosen hoc hausisse credebant, PROCOPIVS memoriae prodidit; significatum uerbi  $\text{כִּבְרָה}$ , ex praconcepta, de creatione ex nihilo, opinione, uoci subiectum esse, R. SIMONIS d) est cauillatio. Quae uero de Paulino attulit dicto, Socinianis plerisque, certe Crellio, sunt familiaria. Quae ultimo denique loco in medium profert VERSEVS, scilicet, ponendo, mundum ante sui creationem merum fuisse nihil, nos necessario affirmare oportere, quod Deus omnia ex sua essentia produxerit, id, quam frigidum sit, quilibet facili opera perspicit, hoc enim tum demum consecutum est, quando demonstratum fuerit, fieri nulla ratione potuisse, ut mundus ex nihilo sit creatus

c) u. Guffet Comment. L. E. f. 146. d) Hist. Crit. V. T. L. II. C. V. L. III. C. III

Coll. diss. A. 223, misc. 42